

**Dissertatio inauguralis medica sistens epidemiae variolosae, Gottingae
1792 grassatae, brevem descriptionem ... / [Karl Georg Heinrich Erxleben].**

Contributors

Erxleben, Karl Georg Heinrich.
Universität Göttingen.

Publication/Creation

Gottingae : H. M. Grape, [1792]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/w4cyaqp2>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>



21812/B

F. xviii. 25



DESCRIPTIO EPIDEMIAE

VARIOLOSAE

IN

EPIDEMIA

VARIOLOSAE

GOTTINGAE

ANNO DOMINI 1710

SCRIPTA

Q. M.

ILLUSTRISSIMO ORDINE

ACADEMICO

INSTITUTO

PHILOSOPHICO

SCRIPTA

ANNO DOMINI 1710


SCRIPTA

ILLUSTRISSIMO ORDINE

ACADEMICO

INSTITUTO

PHILOSOPHICO



73174

DISSERTATIO INAUGURALIS
MEDICA
SISTENS
EPIDEMIAE
VARIOLOSAE,
GOTTINGAE

1792 GRASSATAE, BREVEM
DESCRIPTIONEM

QVAM
ILLVSTRI MEDICORVM ORDINE
CONSENTIENTE

PRO
GRADV DOCTORIS
MEDICINAE ET CHIRVURGIAE
OBTINENDO

PVBLICE DEFENDET
CAROLVS GEORGIVS HENRICVS
ERXLEBEN.
Hanoveranus.

DIE XXIX. SEPTEMBRIS MDCCXCII.

GOTTINGAE,
TYPIS H. M. GRAPE, ACAD. TYPOGR.

DISSECTATIO IN VENEREALIA
MEDICA
P. 1777

EPIDEMIAE
VARIOLOSAE
GOTTINGAE
1792 GRAEATIAE P. 1792
P. 1792



UNIVERSITÄT WÜRZBURG
GOTTINGEN
1792
GRADUAT
MEDICINAE
OF THE
GOTTINGEN
UNIVERSITY
1792
GOTTINGEN
1792

VIRO ILLVSTRI
ATQVE EXPERIENTISSIMO
JOANNI FRIDERICO
STROMEYER

M. D.

REG. MAGN. BRITANN. ARCHIATRO PROFES-
SORI PVBLICO ORDINARIO IN ACA-
DEMIA GEORGIA AVGVSTA, ET
VRBIS GOTTINGENSIS
PHYSICO,

PRAECEPTORI SVMME VENERANDO

HANC DISSERTATIVNCVLAM

GRATISSIMO CONSECRAT
ANIMO

AVCTOR

C. G. H. ERXLEBEN.

VIRI ILLUSTRI

ATQUE EXPERIENTISSIMO

JOANNI FRIDERICO

STROMEYER

M. D.

PHYSICI

RECTORIS UNIVERSITATIS

ALMA MATERIS

ALMA MATERIS

PHYSICI

TRACTATUS

DE

DE

ALMA

ALMA

P R A E F A T I O.

Ad conscribendum opusculum cum co-
actum me viderem, haec praeprimis pla-
cuit materia, quae sane neque utilitate
neque amoenitate caret. Tenuem esse
meum in hac re laborem cum facile con-
fitear, huic tamen tenuitati aliquid excu-
sationis accessurum esse spero ex tempo-
ris angustia, quae ab itinere quodam,
necessario suscipiendo, nata non aliam

*fere ac tumultuariam operam argumen-
to meo tractando impendere permisit.
Antea quidem per hyemem adhuc in Ge-
orgia Augusta litteris incumbere maio-
rique tum diligentia dissertationem ela-
borare constitueram, sed hoc consilium
ut abiicerem aliae causae me permove-
runt; quo factum est, ut opusculum ma-
gis absolutum evadere non potuerit.*

Febris

Febris variolosa, ut notum est, miasmate sui generis, corpori, una alterave via immisso, spatio septem dierum plerumque excitatur. Multum de vi eius in febris excitanda disputatum est, neque ad hoc usque tempus certe constat, quomodo vim exferat suam. Sententiae, ut in quaestionibus eius generis accidit, admodum sunt diversae: alii enim putant illud miasma fermentatione atque assimilatione quadam, spatio illo, plures humores in suam convertere naturam, adeo, ut hoc modo irritamento aucto, tandem febrim producere valeat; alii autem asseruerunt, miasma, irritamentum proprii gene-

ris, singulari prorsus modo impressionem in systema facere nervosum, hacque impressione rursus alias in corpore effici mutationes quae tandem illam febrim singularem producant. Non convenit nobis hac in difficillima quaestione diiudicare. Est forsan in utraque sententia quod probari possit. Nostra certe sententia nullo modo affirmari potest, illud miasma unice fermenti instar agere; quod etiam si quandam veritatis speciem ex actione fermentorum in liquidis mortuis nanciscatur, tamen nullo modo cum ea, qua vivo in corpore, contagii vi, morbus producitur, & humores, miasmatis naturae respondentes, in eius commutantur naturam, comparanda videtur, cum vis vitalis, illis deficiens, huic adfit, qua maxima exoriatur diversitas necesse est; quamquam autem non ipsa actio fermentandi liquidi mortui videri-

vidique inter sese comparanda sit, tamen ex analogia ab una ad alteram concludere possumus actionem, & quae vitali vi adeo in vividis corporibus redditur diversa, tamen fortasse modificatio illius iudicanda est actionis.

Maiores fortasse momenti haec de impressione in nervos & hoc modo generata febris sententia, habenda videtur; cum illorum imperio fere omnia in corpore efficiantur, cumque ipsa febris morbus nervorum sit iudicandus. Alii autem HOFFMANNVM sequuntur, secundum quem in cute humana multae proprii generis inveniuntur glandulae, quae succum quandam secernunt, ex quo si in putredinem abit miasma exoritur variolosum. Venenum autem variolosum, in massam humorum circulantium receptum, illarum glandula-

rum ope a sanguine rursus fecernitur; venenoque secreto nunc ductus glandularum excretorii adeo irritantur, ut sese constringant; succus glandularum nunc ipse putrescit atque in contagii variolosi convertitur naturam; glandulae tum inflammantur atque abeunt in suppurationem; tandem concresecunt, aut pure corroduntur, nullumque porro succum fecernunt variolosum; quibus omnibus dispositio ad variolas prorsus tollitur.

Parum autem huic respondent theoriae observationes febris variolosae per unum aut plures abscessus, aut, variolis nullis erumpentibus, diaphorisi modo solutae; qua tamen, ut certe constat, omnis ad variolas sublata est dispositio; & cum natura nil superflui produxerit, variolarum autem saepe erumpentium tam magna copia,
non

non parvum praesupponat glandularum numerum, quae ante febrem variolosam succum quendam fecernunt proprium, nullo autem modo verosimile sit, eum hanc unice ob causam secerni, ut miasmate inficiatur varioloso, tam late per universam cutem patentem secretionem fere necessariam iudicandam esse non minima gaudet veritatis specie; quae autem secretio, glandulis variolarum, pure corrosis, cum tam brevi tolleretur tempore atque in posterum prorsus cesset, maximum inde corpori enascatur detrimentum necesse videtur; quod tamen minime observatur. Neque variolae locales, sine febre variolosa, in iis, qui iam laboraverunt variolis, post localem infectionem erumpentes, cum secundum illam theoriam glandulae, sedes variolarum, sint sublatae, huic conveniunt opinioni. Sed mittamus haec; propriusque nostro accedamus proposito.

Causa

Causa itaque materialis febris variolofae miasma illud putandum est, quod, ut iam dictum est, proprio modo irritat sensorium ideoque propriae indolis profert febrim, qua humores quidam, varioloso veneno maxime respondentes, corrumpantur, ex quibus demum miasma evolvitur variolosum. Plures, & inter illos VNZERVS, febrim ad progignendum miasma in alio corpore necessariam iudicant; & quamquam iam, ante febris insultum, mutationes quaedam miasmate in corpore effectae observentur, cum haud raro infantes iam quinta aut sexta post inoculationem die reddunt odorem variolis proprium; tamen in hoc, ut ille putat, cum minime in aliis eundem procreet morbum, nullo modo consistit miasma; sed, secundum eum fortasse humores, qui specifico modo semper miasmate afficiuntur, qui

qui quodam modo commutantur, putandi sunt, in quo tandem evolutum miasma sedem figit.

Observationes autem variolarum localium in illis, qui iam variolis laboraverunt veris, sine febris exortarum, quarum pure alii inoculati variolis veris affecti sunt, huic non favere videntur opinioni; neque illa exempla optimo cum successu inoculatorum illa materia, quae e loco effluit infectionis, ab iis desumpta, qui quidem inoculati, sed dispositione ad variolas deficiente, variolis non affecti sunt, & qui postea iterum inoculati variolis laboraverunt, respondere videntur; nisi fortasse placeat opinio, cum in illis dispositio ad variolas iam prorsus sublata sit, in his autem adhuc deficiat, febrem quandam localem exortam esse, qua tandem miasma rursus progenitum sit, Febri

Febris autem variolosa simplex ephemera trium dierum semper existit; tertioque die crisi solvitur; nullum fere habet pathognomonicum signum nisi eam; illa autem expellitur miasma, quod tamen rarissime totum relinquit corpus sed sedem figit in reti Malpighiano atque in illo irritamento suo maculas progignit rubras, initium variolarum verarum. Sed quamquam semper fere hae pustulae appareant, adeo, ut fere ad febrim solvendam necessariae putandae videantur; tamen non deficiunt exempla febris variolosae sine macularum eruptione solutae; atque etiam per abscessus, metastatico modo, exortos eruptio variolarum aut prorsus sublata aut adeo imminuta est, ut fere febris per abscessus soluta iudicanda sit.

Neque absurdum videtur hoc modo totum morbum absolvi posse: cum enim
febri

febri evolutum miasma e corpore tertio die natura, salutari motu, eiicere studeat, cumque, illo eiecto, morbus dispareat, sine dubio morbus absolutus putandus est, nisi aliae causae accesserint, quae partem illius in corpore retineant; sed aut miasmatis nimis magna adest copia, aut cutis quacunque ratione minus est pervia, adeo, ut illud, salutari corporis motu ad cutem dejectum, illam non pervadere possit, sed haereat in ea pro copia miasmatis atque pro pervia cute nunc maiore nunc minore copia. Hinc ii quorum cutis minus est sensibilis, aut magis pervia, ut in illis, qui flavis gaudent capillis plerumque observatur, minore plerumque afficiuntur variolarum numero, quam quorum capilli nigricantes inveniuntur cutisque magis dura atque impervia existit.

Quam-

Quamquam autem in illa non minima haereat pars, tamen aliis causis, quae regularem turbare possint decursum, deficientibus, fere periculi expers morbus est iudicandus; hinc epidemiae variolosae quam maxime benignae sunt, si constitutio epidemica bonae, neque decursum variorum regularem turbantis indolis apparet.

Sed causarum regularem turbantium decursum tam magna est copia earumque vis non raro tam noxia, ut iam inde facile ad periculum concludere possimus, quod quaeque fere inferat epidemia.

Causae autem quae hic praecipue nominandae veniunt in privatas atque universales dividi possunt; illae varias corporis constitutiones regulari decursu nunc magis nunc minus infestas comprehendunt;

dunt; hucque pertinent aetas, dentitio, vermes, scrophulae aliaque eius generis mala, quae haud raro non minimam ad morbum pestiferum reddendum habent vim; hae autem potissimum ad constitutionem pertinent epidemicam omniaque mala, ad quae haec corpora disponit, comprehendunt. Praecipue itaque huc febres variae indolis, pro diversa constitutione epidemica inflammatoriae, gastricae, putridae, nervosae referendae sunt; quae cum iam variolis deficientibus, magnum, praesertim infantibus teneris, inferant periculum, magis adhuc, si febris variolosa ad illarum inclinatur naturam, redduntur noxiae; omni itaque studio atque cura haec complicatio tam noxia auferenda est, & secundum febris naturam variis remediis profliganda. Facile autem quisque cognoscit pro natura febris complicatae, pro corporis

ris constitutione, aliarumque causarum nunc minus nunc magis timendam ratione, prognosin nunc benigniorem nunc maligniorem reddi. Quae cum consensu fere omnium consent, ingruente epidemia ex constitutionis epidemicae contemplatione iam prognosin quandam generalem statuere possumus, illiusque cognitio semper in cura prophylactica non minimam tenere debeat partem necesse videtur; quaeque itaque epidemia secundum variam constitutionem epidemicam suam fere propriam requirit prophylaxin.

Sed de epidemia ipsa quae hoc anno grassata est nunc agendum erit.

Invadebat autem veris initio; tempus, quod illam antecessit, varium admodum atque mutabile fuit: mutaverunt
frigus

frigus pluviaeque; frigus haud raro maximo cum furore saeviit, eoque aliquando gradum retinente, maxima delapsa est nivis copia, quae tandem pluviis undique convocatis soluta est. Madidus tum per longum tempus regnabat Auster, donec frigidus Boreas imperium recuperaret. Constitutio epidemica gastrica catharrhalis fuit; eaque iam per longius regnaverant tempus; nunc febres gastricae catharrales sine topica complicatione, nunc anginae, pleuritides aliaeque eius generis observatae sunt. Veris autem initium, quo & variolae primo ingruebant, magis serenam prae se ferebat frontem, quo & gastrica constitutio multum est immutata magisque catharrhalis manifesta reddita.

Illa autem per totum fere, & quod excurrit annum semper nunc magis nunc minus

minus fuit luculenta, meruitque, ut hanc, ni constitutionem epidemicam, endemicam, appellaremus.

Variolae autem cum apparuissent, verosimileque esset plures iis correptum iri, constitutione epidemica id non prohibente, optimo cum successu inoculationis factum est periculum; haec autem constitutio epidemica, qua aut nulli, aut levissimi modo catharhales observantur affectus, optima ad variolas perferendas iudicanda est; variolae benignissimae evadant necesse est, cum omnibus aliis causis, nisi in corporis constitutione quaedam lateant, deficientibus, decursus nullo turbetur modo, morbusque suam propriam benignam prae se ferat naturam. Hocque modo non parva copia facillime variolis liberata est; neque in tanto numero ullus obiit mortem.

Sed

Sed & naturales secum non tulerunt periculum, quippe quae, aut sine omni complicatione, aut modo catharrhalis benignioris fuerint indolis.

Ante febris autem insultum lassitudinem insolitam maioremque somnolentiam conqueruntur aegri; febris tum exorients, minime vehemens, vesperi praecipue exacerbatur tempore; nares pituita manant, tussunt, oculi acri perfunduntur sero, crebrae audiuntur sternutationes, deglutitio non raro impeditur voxque rauca faucibus haeret; febris variolarum eruptione saepissime tollitur, neque illae magna erumpunt copia. Praecipue autem faciem, atque interiores nasi atque oris amant partes; citius sese attollunt atque replentur; pus autem minorem plerumque habet consistentiam magisque ad lymphaticam vergit naturam;

turam; mox disparet, totusque breviori plerumque tempore absolvitur decursus. Cum autem catharrhalis constitutio talem aëris constitutionem praesupponat, qua insensibilis transpiratio impediatur & serosa plenitudo producat, omni modo acris illa materies eliminanda est e corpore; diaphoresis itaque & diuresis maxime promovendae erant, potuque multo illa materies diluenda, quod infuso florum sambuci decocto rad. alth. glyzirrh. aliisque notis remediis optime effectum est. Externe ad topicos illos adfectus minuendos gargarismata atque fomentationes ex emollientium herbarum decoctis adhibita sunt, omnibusque iis effectum est ut morbus facillime perferretur, alvusque denique exsiccationis tempore aliquoties ducta, aegrum in integrum, adeo, ut nullum varicellae sequeretur malum, restituit.

Sed

Sed non semper variolae tam mitis fuerunt indolis; aliquando catharrhalis illa acrimonia maiorem nacta est acrimoniam. Vehementior hinc febris, maior somnolentia, nec raro motus epileptici, qui fortasse, irritamento variolosi miasmatis exorti, materia illa vellicante magis adhuc augebantur. Omnia symptomata catharrhalia, iam ante nominata, magis insisterunt; vehementiorique feбри miasma magis auctum, maiorem protulit variolarum numerum, quae, cum maxime faciem atque nasi orisque interiores peterent partes, magnam intulerunt aegro calamitatem; variolae haud raro confluunt, neque febris eruptione pustularum prorsus solvitur. Catharrhalis illa acrimonia adhuc partes laceſſat solidas earumque auget actionem, atque inde febriles motus exoriantur necesse videtur; transpirationis ne-

gotium tantum non omne est cohibitum, atque, quae in statu sano saepissime eius suscipit partes, urinae secretio, prorsus fere cessat. Omnes itaque illae excrementitiae partes, in sanguine retentae, magis adhuc corrumpuntur, atque, nisi mox e corpore eiiciantur, lixivii instar irritant, spasmum excitant cutis, febrim admodum augent atque prorsus impediunt variolarum suppurationem.

Variolae ipsae citius exsurgunt, sed, maiori acrimoniae illius irritamento prohibente, quo minus pure repleantur, acrimo fero implentur, intolerabilem in modum pruriunt, moxque rumpuntur.

Irritatio autem illius acrimoniae aliquando tam magna fuit, ut variolae in gangraenam abierint; bullae prorumpunt magnae atque in his contentum ferum

rum acre partes arrodit vicinas, quae tandem lividae aut nigrae evadunt; diri tandem exoriuntur epileptici motus, semper hoc in variolarum stadio maxime timendi, ad nobiliora viscera vellicans illa materies metastatico transfertur modo, tandemque mors aegrorum finivit calamitatem. Perquam raro autem exitus tam funestus est observatus, nisi nimis sero in eo, quo iam conclamatum fuit, stadio medicorum auxilium imploratum sit.

Omnibus autem his symptomatibus bene perpenſis, non dubitari potest, omnium illorum acrimoniam illam catharrhalem arrodentem fuisse causam; quae itaque involvenda atque mitiganda, tumque e corpore educenda fuit. Irritamento enim ablato, morbus simplex redditus plerumque bene proceſſit.

Ad involvendam autem illam materiem multi propinabantur potus demulcentes. Maximam autem semper requirunt attentionem, diaphoresis atque diuresis promovendae; Sed quomodo tandem insensibilis per cutem transpiratio, spasmus, variolis atque squalore clausa, bene procedere potuit? spasmus itaque solvendus, squalor abluendus irritabilitasque ipsa cutis nimia minuenda fuit. His autem omnibus nil melius balneo tepido satisfecit: saepissime statim post illorum usum melius aegri sese habuerunt, variolae, causis, quibus puris in illas effusio prohibebatur, sublatis, pure impletae sunt bono, si nimis fuissent lividae, laeto saepius suffusi sunt rubore, morbusque denique optime superatus est. Sed una & urinae secretionis habenda fuit ratio, quae, ut saepius observatum est, magis si cessat, cataplas-

plasmatis antispasmodicis renali regioni
super impositis, linimenti diuretici Lent.
inunctione, & infusi flor. Samb. rad. liqui-
rit. flor. papaver. rhoead. sp. ϕ dulci. Pot.
River. usu optime promota est. Suppuratio
tum, alienis irritamentis ablatis, bene pro-
cessit feliciterque morbus superatus est.

Sed mox, tempestate, calida ingruente
morbus magis ad biliosam inclinavit na-
turam, moxque omnia mutata sunt; sed
& nunc benignior, quosdam si excipias
casus, habendus fuit; gastrica enim ma-
teries non admodum accumulata, non longa
constitutione epidemica aucta, facile vo-
mitoriis laxanteque mitiori eliminata est.
Nullaque fere adfuerunt symptomata pe-
riculosiora.

Si autem quibusdam infestus fuit, modo de iis, qui morbum primo neglexerunt, aut, qui vermes in intestinis aluerunt, aut, qui iam antea minus commoda usi sunt valetudine, aut de infantibus teneris, qui dentitione difficili iam debilitati atque illa magis sensibiliores redditi, timendum fuit. Vermes enim, alias infantes saepissime hospites, si quodam excitantur modo, periculosissima symptomata excitare valent; irritatione enim tam sensibilibus partibus facillime spasmodum illarum movent, qui haud raro partes alias nec non totius corporis trahit in consensum, quo morbifica materies, organis excretoriis spasmo correptis, non raro admodum augetur febris increfcit decursusque variolarum regularis non uno turbatur modo. Nec raro in his petechiae eruperunt, symptoma, quod in iis plerumque, qui vermibus & pituita, praec-

praecipue si magis tendant ad corruptionem, laboraverunt, observatum est. Atque perquam raro ex illis ad dissolutum humorum crasin colligendum est, neque hanc ob causam remedia antiseptica unquam fere indicantur; magis ea, quae illam saburram noxiam eliminant quaeque irritatos sedant vermes, convenire videntur. Irritati hinc clysteribus lacteis sedandi, & nisi aliae obstant causae e corpore sunt eiciendi; huicque indicationi nil calomele melius satisfecit.

Magis adhuc morbus infantibus teneris, aut minus bene nutritis & inde colluvie pituitosa laborantibus, aut dentitione difficili subactis, evadebat funestus; dentitionis enim atque miasmatis variolosi irritamenta coniuncta maximam viribus vitalibus intulerunt labem, & consensu

omnium fere evictum est, variolas huic aetati maxime noxias habendas esse; & si inter sese numerum magis adultorum & infantum lactantium, variolis interfectorum, comparamus, horum saepius duplicem inveniemus numerum. Ob matris autem pervigilia atque moerorem, ob varias alternantes animi mutationes, cum inter spem metumque adhuc haereat suspensa, maxime de iis timendum erit. His enim animi commotionibus facillime lac corrumpitur, semelque corruptum facillime multorum pessimorum symptomatum causa erit. Animus igitur matris sedandus est, spes erigenda metusque minuendus; ipsa etiam diaetam bonam observet necesse est; modo blandissimis vescatur, potus multos demulcentes hauriat, aut si alia non vetant, infans alii uberi admovendus, & nisi haec permittantur, prorsus mammis amovendus erit.

In

In illis autem, qui dentitione laboraverunt difficili, saepius diarrhoea nonnunquam cruenta, atque iam debilitas illorum vires prorsus deprimens, apparuit. In illa autem diiudicanda distinguendum fuit, cum mox gastrica quaedam materies, mox autem maior solito irritabilitas sensibilitasque, dentitione nimis aucta, illius causa fuerit iudicanda. Salutaris autem, si colluvies quaedam acris illius fuit causa, saepius inventa est, cum, signis colluviei evanescentibus, illam eduxerit atque accessorio hoc modo corpus liberaverit irritamento. Illamque certe haud sine damno auferas; modo si nimis vehemens atque enormis evadit aliquanto minuenda sed minime cohibenda fuit.

Nimia autem sensibilitas atque irritabilitas si causa illius putanda esset, solutione

tionem Gum. arab. cum syrup. diacod. optime illa minuta atque cohibita est.

Caeterum febris variolosa, simulac ad biliosam inclinaverat naturam, catharrhali plerumque vehementior fuit. Calor maior, dolor capitis, lingua impura, alvusque saepissime incerta, motus epileptici eruptionis tempore haud raro vehementiores; variolae ipsae paulo maiore eruperunt numero, & paulo minores magisque videbantur rubrae; sed tamen, nisi auxilium neglectum esset, inde nullum enatum est damnum; biliosa enim colluvie remediis indicatis educta, variolae, si una & propter catharrhalem acrimoniam diaphoresi atque diuresi promovendis animum advertimus, optime decursum observarunt regularem; febrisque suppuratoria, omnibus aliis irritamentis antea ablatis, non magni

magni fuit momenti. Variolae pure optimae indolis impletae, undecimum versus diem in facie exsiccabantur; tum alvus denique ducta omni puriformi acrimonia corpus liberavit atque aegrum in integrum restituit.

Hoc modo epidemia ad dimidiam fere Junii partem sese gessit. Catharrhalis constitutio adhuc praevaluit, & etiam si biliofi aliquid intermixtum esset, tamen id non magni fuit momenti.

Hoc autem tempore magnus subortus fervor omnia urebat; tonitrua saepius terruerunt mentes novaque calamitas, illo fervore longuis durante, miserae hominum genti subnata est; frequentius nunc febres biliosae grassatae sunt; nec optimae saepius indolis, & cholerae observatae sunt

sunt nec defuerunt dysenteriae biliosae. Genius morborum catharrhalis, qui ad haec usque tempora biliosam superavit, nunc magis magisque evanuit, bilioso praevalenti cedens; qui, cum invaluisset, non parvum decursui variolarum regulari intulit malum.

Vehemens autem exorta est febris cum insigni dolore capitis, vertigine, maiori stupore, insomniis atque anxietate. Lingua impura, sapor amarus, vomituritio vomitusque biliosus adfuit; motus epileptici atrociores, neque raro haemorrhagiae narium observabantur. Dolores lumborum, nunquam fausta praesagientes, aegrum conficiebant: variolae paulo prius erumpunt, iam secundae febris variolosae die, nec raro etiam aliquanto serius quarta quintave die; plerumque maiori copia

copia, adeo, ut facies quasi erysipelatofo rubore perfusa videatur, in quo variolae, consuetis minores, exsurgunt.

Febris minime tollitur eruptione, & etiamsi illa mitior redditur, etiamsi eruptionis die aegri melius sese habent, cum plura symptomata aut mitigentur aut tollantur, tamen febris omnibus biliosis stipata symptomatibus perdurat.

Genus autem morborum quamquam nunc fit biliosum, tamen id genus quasdam admisit species. Nunc enim meracabilis febris illius fuit causa, quae mox acrioris mox mitioris fuit indolis, nunc autem bili pituita tenax fuit admixta; & inde rursus non minimae enatae sunt varietates.

Pituita

Pituita tenax a vitae genere, a diætā solanorum tuberosorum sæpissime profiscens, atque infecto abdomine iam indicata, sæpius maximum periculum, cum in his fere etiam vires deficerent, quæ ad tam gravem perferendum morbum necessariae putandæ sunt, intulit. Omnia in his magis ad lentam febrim tendunt nervosam, calor non magnus, sitis non intensa fuit; variolæ non laeto gaudent rubore, sed magis lividæ existunt, neque statuto exsurgunt tempore, & quæ etiam attolluntur facilius rursus deprimuntur. Tumor faciei in his rarior est & si etiam observatur tamen eum minime manuum atque pedum excipit tumor: petechiæ sæpius variolis interspersæ inveniuntur. Puriformis tandem materia in sanguine retenta ad viscera transfertur nobiliora, quo mors tandem efficitur.

Acrior

Acrior autem si urget bilis, febris saepissime vehementior fuit; neque raro in ea diarrhoeae aquosae observabantur, quae irritamento acrioris bilis exortae, vires non parum debilitaverunt; quae si cohererentur, materies illa acris intestinorum excitavit spasmus, qui tympanitico abdomen inflavit modo.

Hac autem febre perdurante multis modis decursus variolarum regularis turbatus est.

Varietates autem praecipue ad febrim variolosam, eruptionem, statum atque suppurationem variolarum spectant. Febris solita vehementior, ad alienam inclinans naturam, non parum ad augmentandum miasma contulit; idque, alienam nactum naturam, maiorem protulit variolarum

larum rubrarum minorumque numerum. Sed & eruptio minus fuit libera minusque completa, nec raro prius in extremitatibus, quam in facie observatae sunt vario-
lae; neque statuto sese attollunt tempore; serius totus in his absolvitur decursus: hic & illuc quidem unica variola celeriter exsurgit, atque lymphā repletur; caeterae autem per longius tempus in eodem permanent flatu; sed tandem, foveola in apice exorta, attolli videntur, sed mox sola attollitur cuticula, quae pustulam aëre format inflatam, quam si desumas cutis nimis apparet rubra, mox autem, lymphā aut sero impletae, pellucidae existunt. Octavo hoc fere accidit die; febris suppuratoria interim vehementissime urget; mox autem lymphā, qua pustulae repletae sunt, aut si & aliquid puris admixtum sit, evanescit, pustulaeque collabuntur. Primo
foveola

foveola in apice observatur, non raro nigricantis coloris, tum rugosae fiunt, tandem cuticulae imprimuntur atque formant crustam duram, cuti fortiter adhaerentem. Convulsivi nunc exoriuntur motus, fridore dentium initium faciente, qui haud raro & alias in consensum trahunt partes, respiratio fit difficilior, pectus coquitur aut abdomen tympanitico inflatur modo, extremitates frigent, pulsus celerrimus atque parvus existit, tandem mors undecima plerumque die finivit tragoediam.

Hic saepius observatus est decursus, nisi cito materies illa biliosa, horum omnium symptomatum prima causa, e corpore remediis indicatis educta sit; omni itaque modo illi feбри variolosae biliosae occurrendam fuit; statim igitur,

C 2

cum,

cum, ex iam recensitis & cuicunque notis symptomatibus, ad biliosam concludendum esset colluviem, emetico, si sursum turgeret, illa eiicienda fuit; si magis putanda esset acris potius ipecac. quam magis irritante tartaro emetico; neque raro uno aut altero, si indicatum fuit, emetico, multum effectum est; neque eodem fervore tum perduravit febris. Mitius tandem purgans tamarindinum cum portione Riverii mixtum, aut infusum laxativ. Viennens. quod maiori adhuc cum utilitate adhibitum est, bilem magis deorsum turgentem eliminavit, omnes excretiones liberiores reddidit vimque febris non parum infregit. His remediis mature adhibitis, haud raro tempore eruptionis, nisi febris esset vehementior, sed modo colluvie recenti, varioloso irritamento progenerata, esset exorta, febris prorsus decessit,

vario-

variolarumque eruptio liberior facta bene processit. Omnique tum studio omnes causae accessoriae, quae decursum regularem turbare valent, auferendae sunt; novaque colluvies, si qua exoriatur, educenda est; quo modo, omnibus alienis irritamentis ablatis, morbus simplex redditus, qua solet benignitate, finitus est, aegrique sine omni damno pristinam recuperaverunt sanitatem.

Sed saepius non tam facile remediis illis profligata est febris: maiori enim copia accumulata bilis, & acrioris haud raro indolis, vehementissimam excitavit febrim, quae saepius pituita aut vermibus complicata, longiori tandem decursu finienda fuit. Materies quidem emeticis atque purgantibus tentata est, ad acriorem corrigendam convenientia adhibita sunt

remedia, abdomini tenso cataplasmata emollientia super imposita sunt; sed nil respondit votis; febris minime sublata est; eruptio hinc non bene processit, variolae statuto sese non attollunt tempore. Tandem exsurgunt, sed modo acri lymphæ aut sero, loturae sanguinis simili, replentur; subfidunt tum: febris in dies evadit vehementior; convulsivi exoriuntur motus; neque ullo remedio res perditæ restitui possunt.

Non paucos tamen, quos principio biliosa lacefferat febris, quæ neglecta a parentibus, quippe qui eam non tam magni momenti iudicaverint, ut, auxilii quaerendi causa, medicum advocarent, temporis progressu adeo increvit, ut maximos, pure in sanguine retento, ciceret tumultus; aut quorum febris tam vehemens iam initio

tio fuit, ut non cito esset debellanda, & qui usque ad variolarum maturationis tempus illa conflictabantur feбри, orco ereptos vidimus, quamquam iam adfuerunt stridores dentium, motusque alii convulsivi. In hoc autem stadio conclamato saepe calomelis usus admodum fuit egregius, tali oblatus quantitate, ut bilem illam pituita commixtam, & quae ceterae ad intestina tendunt acrimoniae, alvo eliminaret, & si respiratio paulo fuerit impeditior cum sulphure aurat. antim. terti. praecip. unitus, quo & illa liberior facta est & humores magis ad cutem sunt propulsi. Una & camphora ad subsidentes pustulas rursus pure replendas, ad humores magis versus cutem derivandos, & ad tumorem manuum si is faciei tumorem haud excipiat, promovendum, externe maxima cum utilitate adhibita est. Nec moschus, stri-

dores dentium si frequentiores essent, spem
 fefellit; illo spasmi soluti, cutisque magis
 facta est pervia; remediisque his unitis
 non raro effectum est, ut pustulae iam ex-
 siccatae rursus pure replerentur. Crusta
 ipsa illa dura, faciem tegens, pure suffusa
 est, quod autem, nisi mox, qua efflueret,
 inveniret viam, magis affecit cuticulam
 sui que notas reliquit.

Sed saepissime modo puris, quod evo-
 lutum est, pars pustulas replevit, altera
 saepe maior in sanguine retenta est, quae
 nunc omni studio per collutoria corporis
 est eliminanda. Maximi ad id evacuan-
 dum intestina sunt momenti; omnium
 enim consensu haec praecipue illud reten-
 tum pus, diarrhoea, morbi fine exorta,
 educunt; quae si non sponte exoritur arte
 promovenda erit; atque per longius tem-
 pus

pus urgenda: quo modo saepius metastases tantum non inevitabiles, quo minus fierent prohibitum est.

Saepe tamen omnia incassum tentata sunt; natura enim, illam laceffentem materiam e corpore ut eiiceret studens, ad maxillam inferiorem, oculos, quo inflammationes maculae corneae atque staphylomata exorta sunt, ad regionem ossis sacri & alias corporis partes transiecit.

Sed quamquam saepissime complicata illa febris modo biliosae fuerit naturae, nonnunquam tamen vario lusit modo. Saepe enim gastricae illi materiei venosi aliquid commixtum fuit. Cuicunque autem notum est, ad hanc gastricarum febrium complicationem, semper maxima cum attentione respiciendum esse; haec enim febris nullo modo solis evacuantibus re-

mediis, aut gastrica methodo auferri potest; & quamquam etiam illa methodus maximam saepissime praestiterit utilitatem, tamen, num indicata sit nec ne, sedulo inquirendum est; quaeque enim fere materia habet quasi suum proprium collutorium, & ut biliosa materies cutem non pervadere valet, sed ad intestina transiicienda est; sic & aliae acrimoniae praecipue cutem amant, illique sunt evacuandae; quae si gastrica methodo ad intestina trahuntur, aut si illa naturae salutares motus, quibus ad cutem propelluntur, turbantur, saepius maxima inde calamitas exoritur necesse videtur; haec autem venosa materia, quae ad cutem tendit, quaeque illa eiicienda est, cute aut spasmio aut alio modo reddita impervia, in corpore retenta maximos ciuit tumultus. Cutis intolerabili urit modo, spasmii augentur, fridores

fridores dentium excitantur, febris vehementissima evadit; subsidunt tum variolae, & pessima imminet fortuna. Saepissime hoc in statu post purgatas primas vias balneum tepidum maximam adtulit utilitatem, quo humores versus cutem determinati spasmi que soluti sunt; quibus omnibus, ut materies illa acris cutem pervadat, atque pus in variolas sese effundat effectum est. Neque raro hoc modo aegri dirae morti, iam imminenti, sunt erepti; neque tamen & hic remediorum iam laudatorum usus neglectus est.

Pro corporis autem varia constitutione febris variolosa & febris sic dicta lenta nervosa complicata est: nota sunt illa signa febris lentae, variolis admixtae; hancque ob causam operae praetium non putavi illa hic recensere. Modo hoc annotandum

tandum videtur numquam fere & hic nomen febris nervosae meruisse; cum semper adesset causa materialis aut pituita, aut bilis, aut alia saburra, quae in corpore, plurimis causis iam inde a longiori tempore debilitato, facilius collecta & tum accedente febre variolosa, commota, vires vitales tam debilitatas invenit, ut natura, illi causae materiali impar, e corpore illam eiicere haud valeret. Potius itaque hae febres ad aliam quandam classam ex: c: ad febrium pituitosarum & aliarum referendae sunt: atque immerito proprium constituere videntur genus.

Facile autem cuique patet, hanc complicationem inter pessimas referendam fuisse, quippe cum iam debilitatis viribus vitalibus nova adhuc calamitas accesserit. Neque eruptio regularis fuit, neque suppuratio bene processit; lividae atque depressae tegunt corpus; halonibus vel nullis vel non rubris circumdatae.

Haec

Haec autem cum e corporis constitutione excatis praegressis, mala diaeta &c. opinanda fuit complicatio, statim haec colluvies omnes depri-
mens vires e corpore est eiicienda; praesertim
emetico, quod & vi sua humores ad corporis pe-
ripheriam magis determinandi non paucam adtu-
lit utilitatem; lentor tum lymphae, qui tam sae-
pe in illis animadvertitur, quique illos ad scrophu-
las, atrophiam exanthemataque chronica adeo dis-
ponit, ut uno aut altero numquam fere sint liberi,
minuendus est; huicque indicationi praecipue ca-
lomel, cum & vias purgaret primas atque, quod
haud raro necessarium putandum est, vermes ex-
pelleret, fatisfecit. Vires naturae una serpentaria,
camphora &c. remediis erigendae sunt; & aeger
medicamentis ita quasi sustentandus, ut morbum
perferat. Hisque medicamentis adhibitis saepius
halones laete rubent, variolae exsurgunt atque bono
replentur pure; morbusque facilius quam princi-
pio expectari poterat, secessit.

Haec autem epidemica constitutio usque ad initium Augusti perduravit ; illaque regnante, maxima pars, quae omnino inortem obiit , funestam perpeffa est sortem. Sed Augusto incipiente rursus epidemica variata est constitutio ; magis ad catharrhalem rursus inclinavit ; non defuit quidem biliosa colluvies, sed aut non tanta adfuit copia, aut secundario feбри catharrhali commota est.

Nunc dentium dolores, diarrhoeae, rheumatismi febres catharrales biliosae, dysenteriae, quibus facile gastrica accedit colluvies, praecipue observatae sunt. Et variolae si etiam haud ad benignam, tamen certe ad benigniorem tendunt indolem. Haecque epidemica constitutio adhuc perdurat, magisque in dies in catharrhalem commutatur.

THESES.

I.

Gastrica methodus aliquanto restringenda videtur.

II.

Febres lentae nervosae haud proprium genus constituent necesse videtur.

III.

Opii usus in colica saturnina, indicatis remediis coniunctus, minime vituperandus est.

IV.

Acida mineralia haemoptosi omnino fere haud conveniunt.

V.

In causis epidemicae constitutionis & materia electricitatis fortasse haud negligenda est.

VI.

VI.


Phthisis rarissime ex sola pulmonum laxitate oritur.

VII.

Omnia remedia antiseptica excitantia, in febris putridis adhibenda, non vi antiputredinosa, sed, qua vires vitales erigunt, agere videntur.

VIII.

Febres putridae sanguineae his in terris rarissime observantur.



Philosophia est, sicut philosophia
est, et sic.

VII

Omnia remedia sunt, et sic
in subiectis sunt, et sic
et sic, et sic, et sic, et sic,
et sic, et sic, et sic, et sic.

VIII

Falsitas patet, et sic, et sic,
et sic, et sic, et sic, et sic.

Th

